

et studentes in dicta domo nostra (Cluniacensi Collegio) libros audibiles audiant ordinate, utpote dispositi ad Logicam audiendam quae est modus sciendi ad omnium artium et scientiarum principia viam habens. Primo summulas in domo. Logicam et postea novam logicam in domo vel extra audiant: ut sic imbuti in logica competentes, libros naturales et Philosophiae audire, et facilius intelligere possint. Cuiusmodi Logicalium, et librorum naturalium, Philosophiaeque auditionem eisdem concedimus in favorem sacrae scripturae, ut videlicet efficacius et facilius capiant et intelligant Librum Sententiarum, in quo profunda mysteria totius sacrae paginae continentur. Similiter de audientibus Theologiam, statuimus, quod libros Bibliae audiant, ordinate.

Hanc institutionis methodum etiam observarunt Anglicarum Academiarum Coenobitae, estque doctorum hominum calculo, compendiosa et certissima ad humanarum divinarumque rerum capessendam scientiam via. Ut frustra sint, qui vix salutatis a limine Philosophicis diciplinis, ad sapientiae arcem enituntur. Ipsa Logica, ut de aliis sileam, nonne clavis quaedam est, omnibus aliarum scientiarum ianuis recludendis aptissima, et, ut Porphyrius eam nominat, Isagoge, seu introductio ad alias disciplinas? Dialectica, inquit S. Augustinus,¹⁾ docet docere, haec docet discere, in hac se ipsa ratio demonstrat, atque aperit, quae sit, quae velit, quae valeat, scit scire; sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest. Ut mirum non sit pluseculum temporis et diligentiae requiri, ut probe percipiatur: quod sapientibus Gymnasiarchis compertum.

Tempus
disciplinis
hauriendis

Henricus autem Cluniacensis ita studiorum in Academiis tempus definit: Pro Logicalibus²⁾ audiendis spatium biennii, et pro libris Naturalibus et Philosophicis spatium triennii, concedimus. Nolentes huiusmodi spatium temporis praefixum amplificari sine nostra et successorum nostrorum licentia speciali petita debite, et obtenta. Sic ille. Benedictini Abbates in Anglia: ³⁾ De annis vero Logicalibus, et Philosophicis antequam ascendant ad Theologiam nostri studentes, secundum statuta a praedecessoribus nostris, et loci nostri consuetudinem in Oxoniis usitatum, volumus adimpleri. Interea tamen et domesticis Lectoribus operam dare iussi Monachi hoc Henrici Abbatis decreto: Ordinamus etiam, quod in Logicalibus et Philosophicis modo praescripto studentes, horis quibus poterunt, Lectiones Magistri actu Regentis in dicta domo nostra, Lectionesque Bibliae, et Baccalaureorum ibidem legentium audiant inter-

¹⁾ Aug. lib. 2 de Ord. c. 13. — ²⁾ Biblioth. Clun. pag. 1580. — ³⁾ Script. 63 pag. 136.

dum, et honorificent eosdem. Idem fere praescripserunt Anglicani Praelati: ¹⁾ Quod si quis ex studentibus nostri Ordinis ad legendam Philosophiam fuerit habilis, et tempus audiendi Philosophiam, priusquam in Theologia gradum ascendere debeat, non impleverit requisitum; Philosophiam legat in loco, quem ipse Prior Studentium magis viderit opportunum; aretetteque nostri Ordinis in Philosophia Studentes, ut suas lectiones audiant de eodem, dum tamen a lectionibus ordinariis, vel Disputationibus in vico Scholarum, aliisque actibus scholasticis per auditionem huiusmodi nullatenus retrahantur.

Quando nam vero nostris licuerit publice in Aca- et tradendis demis alios docere, ita ex Benedicti XII constitutione habemus: Statuimus et etiam ordinamus, quod quicumque ipsius Ordinis seu Religionis, qui in Parisiensi, vel in aliquo alio generali Studio per sex annos in sola sacra Theologia studuerint, in aliis primitivis scientiis sufficienter instructi, et ad hoc sufficientes et idonei fuerint, possint in ipso Parisiensi Studio cursus consuetos Bibliae facere. Qui vero per octo annos in sola Theologia studuerint, Librum Sententiarum legere valeant in Parisiensi Studio praelibato. Sic Pontifex. At Cluniacensis Antistes, ²⁾ vetat ne sui Monachi sine Superiorum facultate doceant: Inhibemus, inquit, in virtute Obedientiae, ne apti et sufficientes ad legendum solemniter aliquem librum Bibliae, cuiusmodi lectura in Studio Parisiensi cursus communiter appellatur, et praesertim Librum Sententiarum, praesumant legere sine nostra et successorum nostrorum licentia speciali petita debite et obtenta.

Committere autem nequeo, quin hic adscribam ^{Doctorum honoraria.} quod Doctoribus Cathedram regentibus Angliae Abbates his verbis contulerunt: Cum suadeat ratio naturalis ut ubi fuerit paritas in causis, sit et paritas in effectibus, fueritque alias in constitutionibus provincialibus apud Norteampton editis, titulo de studentibus, ordinatum, quod Doctori Theologiae, pro quo miserint praesidentes ad occupandam Cathedram magistralem, postquam iuxta statutum Universitatis Oxoniae a tempore inceptionis suae annum compleverit in legendo, singulis annis, quibus postea Cathedram in loco nostro communi in Stockwellestreet situato, occupavit; de communi collecta solvi debeant decem librae; eandem ordinationem de pensione ipsarum decem librarum Doctori de communi collecta taliter persolvenda, etiam et ad Doctorem Theologiae Cathedram occupantem in loco Monachorum Dunelm. super Candith situato, cum pro eo missum fuerit, juxta formam in dicto titulo de Studentibus limitatam, praesentis auctoritate Capituli extendi statuimus, et mandamus.

¹⁾ Ib. 75, pag. 199. — ²⁾ Biblioth. Clun. pg. 1581.

De Scho-
larium
libris.

Jam de Libris, qui ante typographiam rariores adeoque cariores erant, saluberrima tum Benedicti papae, tum Henrici Abbatis decreta recitare pretium operae puto. Pontifex ita loquitur. Prohibemus insuper, ne libri Ecclesiarum Cathedralium, Monasteriorum, et aliorum locorum praedictorum qui dictis studentibus fuerint assignati, seu eis a consanguineis vel amicis dati aut per eosdem studentes alias licite acquisiti, per eos alienentur, detrahantur, seu etiam obligentur. Quinimo volumus, quod dicti libri (defunctis eisdem studentibus quibus fuerant assignati) ad Ecclesias, Monasteria, seu alia loca praedicta libere revertantur. Volumus etiam quod si in Ecclesiis, Monasteriis, seu locis praefatis libri multiplicati fuerint, libris necessariis in ipsis Ecclesiis, Monasteriis et locis remanentibus, de ceteris libris per Antistites in Ecclesiis Cathedralibus, et in Monasteriis, vel aliis locis praedictis per eorum Praelatos, et de consilio eorum, cum quorum consilio studentes praefati sunt (ut praemissum est) eligendi: fiat conveniens distributio inter studentes eosdem. Fiatque prius memorialis scriptura de personis studentium, quibus dicti libri tradentur, et librorum nominibus praedictorum. Quae quidem scriptura in Ecclesiis, Monasteriis vel locis huiusmodi conservetur. Si quis vero de studentibus ipsis, per se vel alium, librum seu libros huiusmodi, qui ad eum praedictis modis pervenerunt, distraxerit aut obligaverit (nisi pro utilioribus vel pluribus libris emendis, et tunc de licentia Superioris sui petita humiliter et obtenta) eo ipso sit inhabilis per biennium, ad quodcumque beneficium obtinendum. Henricus autem hoc tenore decretum suum expressit: Quia iuxta verbum Senecae, Turpis est iactura, quae per negligentiam fit, quae tanto est reprehensibilior, quanto res amissa magis est necessaria et utilior; Statuentes praecipimus libros communes dictae domus per Subpriorem loci, aut per unum Scholarium idoneum a Priore et Subpriore deputandum, tuto, diligenter et fideliter custodiri, distribuique sine acceptione personarum per Subpriorem studentibus, secundum facultates et scientias quas actualiter audiunt. Videlicet Theologiam audientibus libros Theologicos, et Logicam audientibus, Logicales: recipientes vero libros huiusmodi, nomina seu titulos librorum, annum, diem receptionis, et nomen recipientis in scedula in communi registro redigenda scribant. Singulis autem annis die Cinerum vocatis omnibus Studentibus in domo per Priorem vel Subpriorum, certum inventarium de libris huiusmodi fiat, et in loco communi, in quibus loco et die, anno quolibet distributio dictorum librorum fiat, modo et forma superius annotatis.¹⁾

¹⁾ Script. 75, pg. 201.

VII. Caput.... Scholastici honores et promotiones in Academiis.
Monachi eisdem donati.

Artes omnes gloria atque honore incredibiliter ali, in confesso est; e contrario iacent ea semper, quae aut negliguntur, aut improbantur. Verissime Jamblichus Philosophus: Omne honoratum augetur, contemptum imminuitur; promovetque plurimos ad honesta studia, quando conveniens singulis dignitas tribuitur.

Scholastici
honoribus
affiendi.

Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Praemia si tollas?¹⁾

Quae causa fuit, ut veteres Philosophi certos honores Scholasticos iuventuti proposuerint, quibus ad bonarum liberaliumque artium studia incitarentur. Quod Athenis, et Caesariensi Academia Basilio Magno Doctores et honoris et Professionis insignia conferre voluerint, testatur in Monodia ipsius Gregorius Nazianzenus, qui et de seipso dum Athenas deserere pararet, haec canit:²⁾

Universa me cohors aequalium
Cingens, Magistri, cogniti, ignoti mihi,
(Precibus, querelis, vi quoque admixta simul,
Suadebat id amor) mordicus me detinent,
Atque exeundi mihi potestatem negant
Neque enim decere dicitant nos perdere
Doctas Athenas: ac simul facundiae
Mihi principatum, calculis spondent suis.

Ubi doctissimus Billius noster: Per λόγον κράτος hoc significat, Atheniensis Academiae principes, quo eum, ut Athenis adhuc maneret, adducerent, Sophisticam Cathedram ipsi detulisse. Honores autem istos Scholasticos Duarenus, Epistola ad Sebastianum Albaspinium, solemnes studiorum gradationes, Mandosius, honores dignitatis laureae vocat vulgo, promotiones appellantur, vel Gradus, quod gradatim, et cum progressionem doctrinae conferendae sint.

De quorum inventionem, numero significationem et approbationem, haec observavit Jacobus Middendorpius:³⁾ Sed ubi potissimum et quo tempore certi gradus, certusque promotionum ordo et nomina, atque leges introductae fuerint, non satis inter auctores convenit. Sunt enim qui tempore Lotharii Imperatoris Bononiae vel Parisiis coepisse scribant, quando Italia a perpetuis bellorum cladibus respirare coepit, et jurisprudentia, caeteraeque liberales artes reflorescebant. Cumque Gratianus Juris Canonici, et Petrus Lombardus sacrae Theo-

Scholasticorum
gradus.

¹⁾ Juven. satyr. 10. — ²⁾ Nazianz. Carm. de Vita sua. — ³⁾ Midden. de Acad. lib. 1, c. 13.

logiae Epitomen conscripsisset, qui Gratiani Decretum et Longobardi Sententias didicerant, exposuerantque, Doctores appellabantur. Sed ubi eorum numerus in immensum excresceret: tunc demum de certa profitendi ratione, de numero annorum, certisque legibus, qui ubique observarentur, cogitationem susceperunt; ut auctoritate publica a scolasticis conventibus, solenni et accurata disquisitione prius facta (nam Codicillares Doctores, qui Pontificum aut Principum diplomate honorarios titulos consequuntur, post accesserunt) certum virtutis atque eruditionis testimonium habituri crearentur. Constitutum quoque tempus est, quod in studiis ante solemnem illam gradationem consumere oporteret.

Tres observantur. Gradusque hactenus tres observantur. Primus est eorum, qui Tyrocinii depositi insignia accipiunt, et Baccalaurei vocantur, etsi ex hoc Theologi, duos prope modum fecerunt, et alii Baccalaurei biblici, sive currentes, alii baccalaurei formati, vel Sententiarum dicuntur. Baccalaureatus a bacca lauri denominatur: quod hunc gradum mereantur illi, qui ea fundamenta iecerunt. ut spes sit eos a baccis ad ipsam laurum, vel lauream coronam aliquando cum laude aspiraturos. In quam sententiam a Virgilio I. Georg. et a Plinio lib. 24 accipitur. Etsi in Italia non requiritur. Quint. Mandosius ad reg. Cancell. 16. q. 11. Alter gradus est eorum, qui Mellodidascali sive productores, vel licentiati appellantur, quasi licentiam nacti, ad gradum Doctoratus conscendendi. Tertius Doctorum et Magistrorum est, apex omnium supremus.

Graduum origo. Caeterum ipsas promotiones atque honores scholasticos, alii a veterum Philosophorum Gymnasiis, alii ab Augusto Caesare derivant. Cum enim hactenus promiscue de Jure responderent, et lucri causa parum aliquando fideliter, Augustus Caesar decrevit, ne quis posthac eam sibi facultatem usurparet, nisi Principis auctoritas accederet, interveniente publicorum Gymnasiorum examine. Et Adrianus Imperator viris quibusdam Praetoriis hanc jurisdictionem citra examen (ut nunc Codicillares Doctores faciunt) petentibus respondit: eam non peti, sed praestari solere. Principes non conferre, nisi prius se idoneos demonstrarent, et publica auctoritate promoverentur. Et sic paulatim variae hac de re leges, pro locorum atque artium diversitate, a prudentissimis viris excogitatae, et in scholas introductae fuerunt. Sunt autem hi promotionum gradus in Concilio Viennensi sub Clemente Pp. V. gravissimis de causis approbati, et sumptuariae leges praescriptae, ne qui propter inopiam rei familiaris, et sumptuum magnitudinem, a re tam utili abstinerent. Multa etiam Ecclesiastica beneficia, et dignitates sunt institutae, ad quas non nisi sollemniter in schola promoti admitterentur.

Quaeri vero possit, an etiam Monachi, quos sua professio gloriam mundi, titulos, honoresque despiciere docet, idonei capacesque censendi ad suscipiendos istos in Academiis gradus? Movet eandem Panormitanus, dum petit, numquid Monachus, seu alius Religiosus possit assumi in Magistrum? Respondet autem,¹⁾ si se ipse ingerit repellendum: si potestate atque auctoritate Superiorum assumitur, admitti debere, et promoveri ad hoc officium docendi, quod redundat in utilitatem totius Ecclesiae universalis. Neque id tantum, sed magis, inquit, proficit Ecclesiae universali Doctor in legendo, quam simplex creatus in Sacramenta ministrando. Quod satis evidenter colligitur in C. cum ex eo. de electionibus l. 6. ubi propter scientiam capessendam, dispensatur cum curato, ut per septennium possit se absentare. Si ergo Religiosus possit promoveri ad curam, ergo potius ad officium docendi, et maxime scientiam qui habet in se pietatem. Sic ille. Sed extra controversiam est, semper licuisse, et licere Monachis, dum reliqua non desint, Graduum et honorum Scholasticorum insignia sumere.

Monachos gradibus donari licet.

Neque aliis tibicinibus ad fulciendam hanc sententiam opus, quam Benedicti papae XII constitutione, cui si Capitulorum Provincialium in Anglia celebratorum decreta, alia item Henrici Coenobiarchae Cluniacensis statuta, cum usu veteri et hodierno, addere voles, nae robur illi maius, et certa fides accedat. Pontificis Constitutio sic habet: Statuimus quod in Pariensi et quocumque alio studio, in quo ad Magisterium in Theologia ipsa licentia dari consueverit, cum digni ad hoc reperti extiterint, ad Magisterium et Doctoratum in dicta Theologia, et nihilominus ad baccalaureatum, licentiam, magisterium, seu Doctoratum et lecturam iuris Canonici, sive Decretorum in eodem Parisien. et quolibet alio studio, in capa suae Religioni congruenti, dummodo sufficientes et idonei fuerint, ac illi qui ad baccalaureatum et ad legendum Decretales, ibi assumi voluerint, et in ipso Parisien. vel quovis alio generali studio audiverint iura Canonica per sex annos, de quibus per tres annos ad minus audiverint Decretum: nec non illi qui ad Magisterium in Decretis, vel ad lecturam Decretorum assumi voluerint in praefato Parisien. studio: et ibi vel in alio generali studio adiverint iura Canonica, ut baccalaurei legerint per quinque annos, et de hoc primo fidem fecerint per eorum proprium et aliorum duorum iuramentum, absque dilatione et difficultate malitiosa et impedimento quibuscumque libere admittantur: sicut ceteri clerici saeculares ibidem consueverunt admitti: Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus monasteriorum et

Imo juxta Benedictinam constitutionem

¹⁾ Panorm. in C. Quia nonnullis de Magistris.

aliorum locorum eiusdem Ordinis seu Religionis, Parisiensis et aliorum studiorum quorumcumque contrariis iuramentis, confirmationibus Apostolicis et quibuscumque firmitatibus aliis roboratis: et illis praesertim statutis quibus in eodem Parisien. studio caveri dicitur, quod nullus possit legere cursum bibliae, nisi studuerit inibi septem annis: nec permittatur sententias legere nisi etiam inibi studuerit decem annis: quodque nullus Monachus vel religiosus alius legat ibidem iura canonica: vel ad baccalaureatus statum aut magisterii honorem in iure canonico permittatur assumi: seu quod nullus sine rubea capa Decretum legat, seu legere permittatur ibidem: aut quod nullus ibi legere valeat iura canonica, vel ad baccalaureatum assumi, seu ut baccalaureus legere Decretales, aut ad magisterium ascendere in Decretis, sive Doctor fieri in Decretorum aut ad lecturam Decretorum in Decretis assumi, seu ipsam continuare, nisi ibidem vel alio generali studio audiverint iura canonica per quinque et alibi iura civilia per tres annos: aut alibi iura civilia per quinque vel in alio generali studio iura canonica per tres annos: et prout sic vel aliter statutis ipsius studii Parisien. dicitur contineri, vel de consuetudine observari: et aliis consuetudinibus vel statutis eiusdem Parisien. studii quibuscumque sub quacunque forma vel expressione verborum in contrarium editis vel edendis: necnon quibuslibet privilegiis vel indulgentiis generalibus vel specialibus, et literis Apostolicis contrariis, Ordinibus, Ecclesiis, Monasteriis, locis ac studiis quibuscumque sive Universitatibus Magistrorum vel scholarium eorundem: seu personis Ecclesiasticis saecularibus et regularibus exemptis et non exemptis cuiuscumque sint praesentiae, dignitatis, conditionis, aut status, sub quavis forma vel expressione verborum concessis. per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus huiusmodi statutorum et ordinationum, omniumque aliorum et singulorum contentorum in eisdem, praesentibus impediri valeat quomodolibet vel differri: et de quibus quorumcumque totis tenoribus plenam et expressam, ac de verbo ad verbum oporteat in illis vel aliis nostris litteris fieri mentionem.

Hoc Pontificis decreto Monasteriorum Antistites in Galliis et Anglia, certatim Monachos ad Academias destinaverunt, et honoribus Scholasticis decorari voluerunt. Qua in re laudem aliis praeripuisse videantur Anglicani Abbates, qui quum tenuiora Coenobia ferendis sumptibus imparia esse perspicerent, symbolas nummarias in commune aera-rium quotannis conferri mandarunt, quibus impensae in Laureae doctoralis solemnitate dissolverentur. Sed statutum ipsum, quod anno MCCCXLIII. apud Northamptonam conditum est, et anno MCCCXLIV. ampliatum subiicio: Quia ante haec tempora ad

Collectae
pro gradi-
bus obti-
nendis.

evitandas expensas, quae in Magistrorum inceptiōibus esse solent, nonnulli Ordinis nostri ad incipiendum in Theologia seu iure Canonico licentiati, nonnulli qui ad incipiendum propinqui, ad sua monasteria fuerint revocati, in totius Ordinis nostri verecundiam generalem: volentes ut hoc futuris non contingat temporibus, sed ut multiplicentur in Ordine nostro, utriusque iuris Doctores, cupientesque ut monasteria in suorum exceptione Scholarium nimium non graventur: praesentis auctoritate Capituli statuimus, ut quilibet nostrae religionis incepturus Oxoniae in Theologiae, de caetero, si eodem anno, quo inceperit, alium nostrae religionis in eadem facultate incipere non contingat, habeat in inceptiōe sua viginti libras argenti de communi collecta, si autem uno et eodem anno duo in universitate praedicta in ipsa facultate contingat incipere, decernimus, ut uterque illorum de ipsa collecta percipiat in inceptiōe sua decem libras duntaxat: statuimus insuper, quod quilibet nostrae religionis incepturus Oxonii in iure Canonico, si infra annum, quo inceperit, alium eiusdem religionis in ipsa facultate, et dicta universitate non contingat incipere, percipiat viginti marcas. Si autem uno aut eodem anno duos in universitate praedicta in iure Canonico incipere contigerit, percipiat uterque illorum de ipsa collecta tantummodo decem marcas. Sic Patres illi.¹⁾

Neque diligentiam passi sunt suam desiderari Coenobitae. Adeoque factum est, ut Doctorum sacrae Theologiae, et Juris Canonici potissimum, maximus in Ordine Benedictino proventus exstiterit, ne fere alii per Galliam et Angliam legerentur Abbates, quam Laurea insignes. Quem certe discendi ardorem nostro patrumque aevo in Hispaniis resuscitavit laudatissima Congregatio S. Benedicti Valli-Soletana, cuius si Patres Magistros, seu Doctores tantum recensere foret animus, multas bene paginas iis replere atque ornare possim. Floreantque vigeantque, et qui illos in Germania et Belgio non segniter sequi et assequi amant.

Quam multi fuerint olim laureati.

Cur autem plures olim non tantum e populo, sed etiam e Clero et Monachis ipsis, operam Juri Canonico dederint potius quam Theologiae aut Grammaticae, sive humaniorum literarum studiis, ita Petrus noster Boerius,²⁾ et ipse Decretorum Doctor, in Commentario MS. ad Constitutionem hanc Benedictinam perstringit: Per Grammaticam cuiuslibet scientiae, commendabilis redditur possessio. Sed heu me! quam multi ea ignorata, ad Jus Civile, vel Canonicum se transeunt, et tamen saepe audiunt:

Cur plures iuris canonici.

¹⁾ Script. 72, c. 19. — ²⁾ Boer. c. 6. Benedictinae.

Qui nescit partes, in vanum tendit ad artes. Sed hoc ideo est, ut cito ex pulvere veniant ad honorem iuxta illud poeticum:
Si legista forem, populus mihi ferret honorem,
Sed quia Grammaticus, fertur honor modicus.

VII. Caput . . . Benedictini cum facultate Superiorum honores sumpserunt et sub Doctoribus Ordinis. Leges Sumptuariae in aditu honoris. Habitus et privilegia graduatorum.

Benedictini
de Prae-
latorum tan-
tum licen-
tia gradus
sumant

Utrumque vero magnum in studiis progressum fecissent Ascetae, nefas tamen creditum, honoris aut dignitatis gradus certo ritu assumere, nisi diserte Praelatorum voluntas et licentia accessisset. Decreti huius causam, modum, poenamque in transgressores graphice expressit Cluniacensis Abbas: ¹⁾ Ad compescendos propriae excellentiae et honoris saeculi appetitus, servos Christi et praecipue religiosos, qui abrenuntiationem saeculi promiserunt, monet et inducit sententia B. Joan. Chrys. sic dicentis: Desiderans primatum in terra, inveniet confusionem in coelo, nec inter servos Christi computabitur qui de primatu tractaverit. Nullusque eorum festinet quomodo aliis maior appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur. Ut ergo nemo fratrum nostrorum Parisius in Theologia studentium assumat sibi honorem, nisi vocatus et electus ab illo qui est Vicarius Dei et eius Praelatus: Statuentes in virtute obedientiae, et sub poena excommunicationis, quam ipso facto incurrant contrarium attentantes, inhibemus: ne Magister actu Regens in Theologia in domo nostra Parisius, aut aliquis alius de Ordine cuiuscunque status et conditionis existat, ad licentiam obtinendam, seu ad statum honoris Magisterii Theologiae facultatis, requirentis utique hominem in scientia perfectum, in morum honestate praeclarum, et in eloquentia expeditum ac gratum, de caetero praesentare aliquem Baccalaurium Domino Cancellario B. Mariae Parisiensis: nullus etiam Baccalaurius praesentationi de se factae consentire, aut licentiam huiusmodi acceptare, seu preces saecularium ad hoc impetrare praesumat, nisi nobis et successoribus nostris super hoc facto debite consultis, et sine nostri et successorum nostrorum consilii deliberatione matura. Hactenus ille.

Et quidem
sub Docto-
re ordinis.

Idem praescribere Abbates Angli in Capitulo Provinciali, qui alteram constitutionem adiiciunt, qua praecipunt, ut huiusmodi honores Benedictinorum Doctorum auspiciis sumantur hac formula: ²⁾ Postulat aequitas rationis, Ordinis quoque connexio debita hoc requirit, ut viva communitatis membra in simul adhereant ad invicemque

¹⁾ Biblioth. Clun. pag. 1581. — ²⁾ Script. 75 pag. 202.

nutriantur, vigeant, atque crescant; quod si membrum aliquod a communitate subtraxerit semet gratis, illud ideo communitatis careat alimento. Hinc studentibus nostri Ordini praecipimus universis, ne quis eorum, quasi ab exteris mendicando, apicem magistralem seu gradum alium Scholasticum temptet ascendere, vel praesumat, sub Magistro aliquo seu Doctore, qui nostrae non fuerint professionis; Dummodo in ipsa universitate aliquis nostri habitus foret praesens, sub quo scandere poterit gradum huiusmodi Scholasticum, seu etiam Magistratum. Quod si quis nostri Ordinis sub aliquo nostram religionem regulariter non professo, de caetero gradum assumpserit Doctoralem, eum decernimus eo ipso nullum fore de Collecta Communi subsidium ad suam inceptionem penitus habiturum; praeter poenas alias talibus recipientibus Magistratum, vel gradum Scholasticum sub magistro extraneo, ut praefertur, tanquam discessionis filii, seu privignis a praesidentibus merito infligendas.

Porro leges sumptuarias, quae in dignitatis susceptione ex more fiunt, ita circumscibit Benedictus Papa XII. ut profusionem averruncet, atque convivia Baccalaureis interdicat. Statuimus, inquit, et ordinamus, quod nullus de Ordine seu religione huiusmodi ad recipiendum Magistratus seu Doctoratus honorem de caetero assumatur: nisi praestito per eum primitus iuramento in praesentia dicti Prioris Studentium, ac duodecim proborum et discretorum ex Studentibus antedictis, quo in assumptione ipsius honoris vel ante, seu post eius occasionem, circa cibos, vestes vel alia non expendet per se vel alium undecunque habuerit vel fuerit sibi datum, nec quantum in eo fuerit expendi permittet ultra valorem duorum millium Turon. argenti, ab aliis etiam suis consanguineis vel amicis. Illi etiam qui ad baccalaureatum existiterint assumendi, praestare similiter teneantur iuramentum in praesentia Prioris studentium et duodecim proborum, et discretorum praefatorum: quod huiusmodi sui baccalaureatus praetextu, ipsa die qua incipiet, vel ante, seu post, nullum festum seu convivium facient per se vel alium seu alias fieri permittent a quibuscunque aliis eorum consanguineis vel amicis. Ita Benedictus Papa, parcior in his et restrictior, quam Clemens V. qui in Concilio Viennensi¹⁾ tria millia Turonensium argenteorum in Doctoratus solemnitate concesserat. Inquirenti vero quam summam nostratis monetae faciant duo millia Turonensium argenteorum, non tam facilis ac prompta responsio. Nam Clementinae vel Benedictinae interpretes, ut plurimum Itali vel Galli origine, ad suae regionis monetam calculos subducunt. Glossa in cap. Cum sit, tria millia

Sumptus
in gradibus
suscipien-
dis tempe-
rantur.

¹⁾ Clemente C. Cum sit.

Turonensium argenteorum, quae Clemens V. assignavit, quingentis libris Bononeorum parvorum Bononiensis monetae aequiparat. Panormitanus vero idem capitulum explanans, ait quingentas libras Bononeorum parvorum facere ducentos et quinquaginta florenos de camera.

Graduatorum habitus Illud etiam curae fuisse video Anglicanis Abbatibus, ut Doctores et Licentiati Ordinis aliquo signo a ceteris distinguerentur. Hinc illis decreti honores in habitu, et consessu publico. Primo dum verba ad populum facerent, unde aiunt, Statutum est¹⁾ et firmiter iniunctum, quod singuli Doctores, et Graduati audientis in solemnibus publice sermocinantes, nisi fuerint revestiti, habitibus de cetero utentur Scholasticis: audientias solemnes dicimus, ecclesias Cathedralis, Monasteria solemnia, Crucem S. Pauli, et quaecumque audientiam, ad quam civitas concurrit auditum. Sic illi. In Scholis autem statuunt, quod Licentiati ad incipiendum²⁾ tam in Theologia, quam in Jure Canonico, in suis Gradibus suscipiendis caputia capparum Scholasticarum cum buggio furrata habeant, sive cum Syndone nigro linita. Et consimiliter Bachalaueros ad lecturam Sententiarum, et Bachalaueros ad lecturam Decretalium admissos caputiis cum buggio furratis uti de caeteris ordinamus. Quid porro sint caputia cum buggio furrata, dicit Clemens Reyneri in Onomastico: Buggio furratum, hoc est, furrura ex agnino vellere interius fultum, vel suffultum. Furrura est quodcumque pellitii genus, seu pellis cum vellere, quo utuntur, homines, in interiori parte vestium, sive ad arcendum frigus, sive ad ornamentum.

Prae-eminentiae. De praeeminentiis vero Doctorum ita memorati Abbates: Ordinatum est, quod Doctores sanctae Theologiae, et juris Canonici post susceptum gradum Doctoratus, in Monasteriis Abbates superiores habentibus, et aliis Ecclesiis Cathedralibus Abbates non habentibus in Capitulo Provinciali, in claustris, choro, refectorio, capitulo, processionibus, tam extra Monasteria quam intra, et ubique locorum, post Priores claustrales proximas sedes teneant, et post Supprios cathedrales propter gradus dignitatem eos consimiliter volumus honorari: dum tamen ipsorum Doctorum mores et conditiones Religioni Doctoralique gradui sint conformes; Sane alias dictos Doctores, sicut caeteros nostri Ordinis subditos, regularibus, ut decet, institutis volumus subiacere. Praelatis vero, Prioribus claustralibus, Supprioribus cathedralibus, a suis dignitatibus, officiis et ministerio per cessationem discedentibus, per praedicta non intendimus in aliquo derogare: cui etiam adiicimus, quod nullus alius, sive

¹⁾ Script. 63. pag. 136. — ²⁾ Ibid.

ordinis custos, vel senio provectus, seu officarius, contra locum Doctorum hic diffinitum alicubi locorum usurpet, ordinis custode dum regulariter praesidet duntaxat excepto. Haecenus illi.

Caeterum mantissae loco subiiciam, quae Nicolaus Boerius de Licentiatorum inter se praecedentia adnotavit: Nam tractatu de auctoritate magni consilii et Parlamentorum Francia, communem ait opinionem esse, ut primum locum obtineant Theologi, secundum Jurisperiti, tertium Medici quartum Philosophi, et bonarum artium Professores: inter Jurisperitos praeferrantur hi, qui Canonist. vocantur, et inter hos caeteris paribus, seniores, et qui diu professi fuerunt, nisi iuniores virtute et scientia maxime excellent, vel in dignitate aliqua constituti essent. Theologi enim versantur circa Deum, et res divinas: Canonum Doctores circa bonum commune, et circa Deum quoque. Legistae circa bonum commune tantum: Medici circa corpus humanum. Jurisconsulti tanto Medicis praestant, quanto anima praestat corpore, iustitia aegritudine. Socinus cap. super speculo de Magistr. Canonistae Legistis praeferruntur, caeteris paribus. Nam excellens Legista praefertur indocto Canonistae, Socinus ibi. Sicut iuvenis doctus praefertur seniori indocto, Socinus reg. jur. 128. Qui diu professus est, et maius stipendium habet, vel a Principe digniore, maioreve promotus est, (dummodo non sit bullatus) aliis praefertur, Socinus, cap. quanto, de Magistris et regula Jur. 128 et seq. Petr. Duēnas, reg. jur. 208.

De praecedentia graduatorum inter se.

Doctor Canonum et legum praefertur simpliciter Canonistae, Socinus c. quāto, de Magistris. Geminatum enim vinculum difficilius rumpitur.

Sicut Licentiatum duplex praefertur omnibus aliis Licentiatis, non Doctoribus, Licentiatumque Theologiae praecedit baccalaureum utriusque Juris.

Et prior Licentiatum praefertur posteriori Doctori, Seniumque a tempore adepti gradus Licentiae computatur, licet post alium Doctor evaserit.

De quibus apud Socinum et Anchor. de Magistr. Boerium c. loco Guidonem Papae decis. 88. et 388. et 390. Benium, et alios, plura disseruntur.

Liber Quartus: De studendi, instituendique methodo.

I. Caput XV^(bis) Modus studendi veterum Benedictinorum.

Quantum virtutis et potissimum orationis rationem habuerint.

B. Rhabanus in exemplum statuitur.

Qui veteres nostri Ordinis Monachos bonis artibus operam dantes orbi sistere velit, is non ita studiis mancipatos cogitet, ut alia sacrae religionis exercitia insuper habuerint. Opus quidem manuum, iam opibus

Pro oratione Monachi studia intermittunt.

aucti, et tradendae hauriendaeque doctrinae satis occupati, omit- tendum sibi putarunt; non item stas psallendi precandique horas. Frequens illis fuit studia pro oratione intermittere, orationem pro studiis nunquam. Prorsus gemini moribus iis, quos S. Augu- stinus mirifice extollit, qui contemptis ac desertis mundi huius illecebris in communem vitam castissimam sanctissimamque con- gregati simul aetatem agebant, viventes in orationibus, in lectio- nibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla pervicatia turbulenti, nulla invidentia lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gratissimum ipsi munus offerebant, a quo ista posse meruerant.¹⁾ (Aug. l. 1. de morib. eccles.) Sed Trithemium²⁾ de nostris studiosis disse- rentem audire iuvat. Legimus, inquit, de sanctis Patribus huius sacratae religionis multa laudum praeconia, quae ad imitationem eorum nobis proponuntur. Magna in eis fervebat devotio: arsit in eorum mentibus regularis disciplinae zelus commendandus, qui eos nunquam sinebat esse ociosos. Salvo enim officio divino, cui omnes devote insistebant, de reliquo Monachi studio vacabant Scripturarum: quibus non solum illuminabuntur intellectu, sed etiam compongebantur adfectu. In exercitio Monachorum sancto semper viget amor, qui de lectione ad orationis vigilantiam vocat studiosos. Nam qui se sanctis Scripturis amplius exercitassent, vacantibus horis, studio et expositionibus earundem intendebant: libros conficientes et varios tractatus, quibus studia fratrum suorum ad Deum quotidie provocabant.

Exemplo sit S. Beda, quem his verbis idem Tri- themius celebrat: Ex eo tempore, quo legere poterat, a sacra lectione et studio minime cessabat.³⁾ Semper

mens devota studiis occupabatur salutaribus: quibus legit, scripsit, vel docuit. Erat ei mos, ex lectione vehementer accendi et compungi, ita ut saepe inter legendum et docendum lacrymas callidas effunderet. Unde post lectionem vel studium, ad orationes sanctas Doctor devotus, se contulit, sciens magis Dei gratia quam propriis viribus, ad scientiam perveniri Scripturarum. O virum, cunctis verecundum saeculis, qui et mentis habitaculum orationibus, et Ecclesiam doctrinis illustravit. Haec Spanhemensis Abbas. Verum non alius nobis eius rei testis, neque magis idoneus author requirendus, quam ipse Venerabilis Beda, qui ad calcem Historiae gentis Anglorum, haec de seipso commemorat: Cum essem annorum septem, cura propinquorum datus sum educandus reverendissimo Abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido, cunctum- que ex eo tempus vitae in eiusdem Monasterii (Apostolorum Petri

¹⁾ S. Bened. Reg. c. 43. — ²⁾ Trithem. de vir. illustr. Ord. S. Bened. lib. 1. c. 6. — ³⁾ Ibid. lib. 3. c. 155.

et Pauli habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi, atque inter observantiam disciplinae regularis, et quotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere, dulce habui. Sic ille. Quid autem Deum rogare solitus sit, haec formula, quae ibidem subiicitur, disciplinae scholasticae candidatos edocebit: Te deprecor,¹⁾ Bone Jesu, ut, cui propitius donasti verba tuae sapientiae, vel scientiae dulciter haurire: dones etiam benignus aliquando ad te omnis sapientiae fontem pervenire, et apparere semper ante faciem tuam, qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Nec solus in hoc sensu fuit Beda: de aliis paria S. Abbo, legimus. S. Abbo²⁾ Floriacensis Monachus et postea Abbas, egressus pueritiae tempora, inquit Aimoinus, frequenti meditatione, adolescentiae satagebat reprimere vitia, sciens scriptum: Quia frequens meditatio, carnis est afflictio. Quam idcirco iugi literarum exercitio domare curabat, ut spiritui eam servire cogeret. Nec tamen, uti a quibusdam iuvenum fieri assolet, ob studium Lectionis, intentionem deserebat devotae orationis. Religionis namque propositum monasticae, quod habitu portendebat, id tota mentis devotione diligebat. Et quasi pro quodam levamine, post precum ad Dominum missa libamina, liberalium artium sumebantur exercitia.

B. Alcuinus Abbas, aut legebat, aut scribebat, aut discipulos erudiebat, aut orationi vacabat, et Psalmorum decantationi, inevitabilibus tantummodo indulgens necessitatibus. Ita anonymus Vitae Author: qui et de S. Egberto S. Egbertus Alcuini Magistro refert: Bis in die secretissimam orationem erat solitus fundere.

Rhabanum Maurum hoc etiam nomine laudat et B. Rhabanus Maurus. Rudolphus: Huic Monasterio, inquit, quintus a B. Bonifacio praefuit in regimine Herbanus Abbas et praeceptor meus, vir valde religiosus, et in Scripturis divinis adprime eruditus: cuius omne studium fuit in meditatione legis Domini, et in doctrina Veritatis, curaque maxima circa disciplinam Monasticam, et profectum discipulorum, mens eius ad ea disponenda, quae ad cultum divinum pertinent, semper erat intenta. Quotuscunque a curis saecularibus (quas prout possibile erat, toto nisu declinabat) liber esse permittebatur, aut alios sacris literis instruebat; aut in legendo, vel dicendo, divinis Scripturis semetipsum pascere. In

¹⁾ Tom. 1. Oper. Bed. — ²⁾ Aimoin. in Vita S. Abb. c. 2.

oratione, vigiliis et abstinencia, ceterisque virtutum titulis, formam se sibi subditis praebebat.

Rhabani
iuvenis
virtutes,

Haec ille in dignitate positus gessit, sed operae pretium fuerit his adscribere, qualem se exhibuerit, quum adhuc privatus operam studiis navaret. Vivis coloribus sanctum iuvenem depinxit Trithemius Abbas, quem opto Scholastici Ascetae attentius legant. Mox ut annos pueritiae superavit, se totum divinis mancipavit obsequiis, in ecclesia frequens, in choro psallentium assiduus, et sine vanitatis nota in servitio Domini singularis. Nullus Monachorum inter cantandum et legendum illo fuit alacrior, nullus ad obedientiam seniorum inter omnes promptiorem se unquam exhibuit. Deum pura mentis elevatione semper amavit super omnia, cui ordinatissimae voluntati quicquid acceptum noverat, implere summo conatu satagebat. Ea vero, quae divinae voluntati didicit esse contraria, nunquam in cordis ergasterium censuit admittenda. Mentis suae a pulveribus terrenae cupiditatis purum custodivit et mundum, atque in medio fratrum suorum omni tempore sine offensione vivebat. In oratione sancta pene fuit continuus, in lectione divinarum Scripturarum sine intermissione laudabiliter occupatus. Nemo vidit illum otiosum, non fabulis, seu otiosis sermonibus illum quisquam audivit intentum, neque more complurium per claustrum discursibus vanis quisquam reperit vagabundum. Deo semper mente deditus, aut lectioni Scripturarum incubuit, aut scripsit aliquid pro communi fratrum utilitate, vel certe secum in cella solitarius habitans erat. Nihil enim illi dulcius fuit, quam continuum sanctarum studium Scripturarum, et ideo cellae monasticae secretum, multis importabile claustralibus, paradisi delicias reputavit.

Ejus
humilitas

Paucis interiectis pergit Spanhemensis Abbas: et cum tantam omnium scientiarum esset copiam adeptus, nunquam tamen in superbiam fuit elatus, nunquam suo se iudicio inaniter super alios extulit, nunquam simpliciores, et minus in Scripturis eruditos etiam leviter contempsit. In vera namque humilitate fundatus Monastica, parvulus in oculis suis apparebat, et quanto maior extitit, tanto se per amplius humiliavit. Noverat enim, Monachi scientiam sine vera humilitate mentis perniciosam esse stultiam, etiam si apud homines doctissimus habeatur. Dicit enim Scriptura: Doctrina viri per patientiam dinoscitur. Paciens autem veraciter nemo dici meretur, qui humilis non fuerit, et Omnipotentis nutui plena voluntate subiectus. Harbanus autem noster, verus Dei amator, qui et humilis et patiens veraciter extitit, quanto in bonis studiis amplius profecerat, tanto magis animum suum coram Deo et hominibus humiliabat. Non illum vana terreni honoris ambitio traxit ad studium, non pau-

pertas vel inopia fecerat Monachum in Scripturis esse studiosum; sed Dei amor, qui vincit omnia, mentem illius incenderat, ad spiritualis scientiae incrementa; nihil est difficile bonae voluntati, nihil formidabile Deum veraciter amanti. Unde cum se totum divino mancipasset obsequio, nihilque in hoc mundo quaereret, nihil cuperet vel optaret, nisi Deum solum et scientiam Scripturarum, dignum se Christo studuit exhibere ministrum, a quo noverat omne donum mortalibus provenire apertum.

Semper aliquem divinae Lectionis codicem ver- Zelus illius
in Dei
laudibus et
Sacris
Lectionibus
sabab in manibus, semper in semetipso sibi unitus aliquid operabatur bonae operationis. Et neque diebus neque noctibus ab investigatione divinarum cessabat Scripturarum. Nam praeter illud tempus, quod inevitabilis necessitas requirebat naturae, vel divini cultus ratio postulabat: quod reliquum erat omni Scripturarum studio impendebat, idque totum se arbitratus perdidisse, quod aliter quam in Dei laudibus, aut sacris fuisset Lectionibus expensum: propterea quotiens ab actionibus poterat vacare publicis, suis utiliter insistebat privatis, semperque oratione praemissa speciali mentis ad Deum, aut legit, aut scripsit, aut legentem in scholis Albinum audivit Magistrum. His illum sacris intentum studiis, et sine intermissione continuanter occupatum, magno Dei miseratio cunctarum virtutum decoravit ornatu, contulitque optanti sensum per omnia consummatum intelligendi Scripturas, deditque bene merito Sanctorum scientiam, et in cunctis operibus bonis consummationem. Qui presbyter consecratus, nihil pristinae humilitatis omisit: nihil monasticae conversationis et puritatis neglexit: sed maiori se humilitati subiiciens, totam ad regularis observantiam disciplinae animum contulit, cunctisque fratribus suis se obsequentissimum exhibuit: et vel orationi, vel sacrae Lectionis studio semper intentus fuit. Cella, sicut prius est dictum, paradisi illi exiit, et chorum psallentium fratrum, coelum reputavit.

Et quia cunctis pro Christi nomine humiliter Omnium in
Rhabanum
qualis amor
obsequi studuit, iure omnibus dilectus fuit. Amabant eum sancti seniores, ut filium, venerabantur studiosi iuvenes, ut coelestis doctrinae Magistrum. Omnes quoque in communi totius illum religionis monasticae habebant exemplum, et summum eruditionis Christianae documentum. Praecipuo tamen congratulationis officio Rathgarius Abbas reverendissimus exultabat, quod illum, quem singulari prosequeretur affectu amoris, tanta cerneret insignia possidere virtutum. Et vere dignus fuit amari ab omnibus, qui Conditozem omnium puro semper dilexit affectu. Completa fuit in illo placida illa aeternae Sapientiae pollicitatio dicentis: Ego diligentes me diligo; et qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Mecum sunt, inquit, divitiae et gloria, opes

supernae et institia. Melior est fructus meus auro, et lapide pretioso: et genimina mea argento electo. Dilexit Hrabanus etenim sapientiam Dei patris, cuius notitia credentibus datur per fidem in scripturis sanctis: quarum lectioni tanto crebrius incubuit, quanto Deum sincerius amavit. Eius gutturi fructus sacrae lectionis semper dulcis extitit; quem in fervore sancti Spiritus gustavit.

(Continuatur in fasc. seq.)

Gillon le Muisi, Abt von St. Martin in Tournai, sein Leben und seine Werke.

Nach den Quellen bearbeitet von Dr. Philipp Wagner.

(Fortsetzung zu H. I. 1897, S. 44—57.)

V.

Gillon le Muisis Werke.

Die für den Historiker wichtigste Stelle unter ihnen nehmen seine lateinisch geschriebenen Chroniken ein, die de Smet in seinem *Recueil des Chroniques de Flandre*, tome II. unter dem Titel: *Chronicon majus* und *Chronicon alterum Aegidii li Muisis* zuerst im Zusammenhang, in einigen Partien allerdings nur bruchstückweise, veröffentlicht hat.¹⁾ Das erstgenannte Werk theilt der Verfasser in seiner Vorrede in drei Tractate ein, von denen der erste über den durch Krieg, Uneinigkeit und andere unglückliche Ereignisse herbeigeführten Verfall der Abtei St. Martin bis zu der Erhebung le Muisis zum Abte, der zweite über die im Kloster üblichen Gepflogenheiten und Gebräuche, der dritte vornehmlich über die kriegerischen Ereignisse jener Zeit handeln soll. Daraus geht hervor, dass die beiden ersten Tractate hauptsächlich für die engere Geschichte der Abtei St. Martin sowie für die Lebensgeschichte des Verfassers Bedeutung haben; sie finden zahlreiche Ergänzungen in den später zu besprechenden Rechnungsbüchern le Muisis sowie in einem in seine Poesieen eingeschobenen Tractat „*De l'estat dou monastère St. Martin et des boines coutumes comment on s'y soloit et doit maintenir.*“ Ein allgemeineres Interesse beansprucht der umfangreiche dritte Tractat, der die politischen Ereignisse von 1270—1348, jedoch mit fast ausschliesslicher Berücksichtigung der französisch-flandrischen Geschichte umfasst. Von den acht Theilen dieses Tractates ist der erste, der einen kurzen Abriss der Weltgeschichte, d. h. eine chronologische Aufzählung der nach des Verfassers Ansicht

¹⁾ Ueber die Handschriften und die bereits früher von anderen Gelehrten gegebenen Auszüge vergl. de Smet in der Vorrede zum *Chron. majus*. Der Titel *Chron. majus* und *Chron. alterum* rührt nicht von le Muisi, sondern vom Herausgeber her.